



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

26. De Deo Conseruatore rerum omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

CONSIDERATIO XXVI.

*De Deo Conservatore rerum  
omnium.*

**C**onservator dicitur; 1. quia rebus omnibus pro cuiusq; capacitate & gradu, tribuit necessaria adminicula, quibus se conseruent, tum ab interitu, tum ab omni nocumento: vt videre est non solum in hominibus, sed etiam in omnibus animalibus, quantumuis vilibus. Omnibus enim insita à conditore quædam industria ad profequenda sua commoda, & vitanda noxia. Idē cernitur in plantis, & rebus inanimis; etiam in elementis; etsi in rebus inanimis obscurius.

2. Quia assiduo & substantifico influxu in res omnes influit, vt earum essentia conseruetur; sine quo influxu, statim extinguerentur, euanesce-

uanescerent, & in suum nihilum relaberentur, quantumuis per se videantur magnæ, firmæ, solidæ. Singulæ enim res creatæ, etiam Angeli & cœli, nihil sunt aliud quàm terminus operationis, & influxus diuini, non extrinsecus, sed intrinsicus; sicut lumen diffusum per mundû, est terminus illuminationis seu operationis solis. Vnde nullam habent soliditatem nisi ab influxu diuino, qui pendet à libera voluntate Dei, qua velit, vel non velit eum influxum suum continuare. Hinc fit vt nulla res in quam Deus statuit suum influxum continuare, possit perire, aut vi vlla interimi.

Porro hic influxus nihil est aliud, quam quædam continuatio creationis, vel operatio creationi æquiualens. Vnde, vt SS. Patres affirmant, *non minoris virtutis est mundû conseruare ne in nihilum relabatur, quàm eundẽ ex nihilo producere.*

3. Quia

3. Quia statuit mundum, Angelos, & homines in æternum conseruare, influxum suum substantificum immutabiliter continuando.

CONSIDERATIO XXVII.

*De Domino rerum omnium. Domino Dominantium. Rege Regum. Rege seculorum. Sancto Sanctorum. Deo Deorum.*

**O**mnium Dominus dicitur, quia omnia essentialiter ipsius sunt, tanquam ipsius opera, & figmenta, quæ ipse sua sapientia excogitauit, & omni potentia ex nihilo formauit, & ad suam gloriam aliquando repræsentandam & insinuandam extare voluit. Deinde, quia de omnibus pro suo arbitrio potest disponere, cum omnia ab ipsius nutu, & libera voluntate omnibus momentis de-

tis de-